




SOLEMNIA ANNIVERSARIA
GUILIELMI ERNESTI
VIMARIENSIUM QUONDAM DUCIS
DIE XXXI. MENSIS OCTOBRIS
RITE CELEBRANDA
INDICIT
COLLEGIUM PRAECEPTORUM
GYMNASII VIMARIENSIS
INTERPRETE

GUSTAVO ZEISS,
GYMNASII PRAECEPTORE.

COMMENTATIO DE LEGE THORIA AGRARIA.

VIMARIAE,
TYPIS ALBRECHTIANIS,
PROSTAT JENAE IN LIBRARIA MAUKII.
MDCCCXLI.

Constantius fund.

Quanquam imperium, quod Romani armis et vi obtinuerunt, prae ceteris regnis et magnitudine excelluit et diuturnitate, illud tamen latius patuit et longius duravit, quod institutis suis et legibus cum aliis nationibus communicandis et super totum terrarum orbem propagandis sibi compararunt, quippe quod usque ad nostram etiam aetatem omnes Europaei populi patiantur. Nullum vero ex institutis illorum inveniri posse arbitror, quod cum ceteris paene omnibus magis cohaereat majorisque sit momenti ad res et publicas et privatas recte intelligendas, quam rei agrariae ratio et legum agrariarum cognitio. In magna autem ejus rei gravitate infelici casu accidit, ut nobis parca solum conservata sit ejus notitia eaque multis modis imperfecta. Neque enim veteres rerum scriptores Romanarum opus esse putarunt multa dicere de legibus agrariis, quae quotidianae fere ordinum discordiae materia propptereaque civibus omnibus satis notae essent, neque temporis iniquitas eorum, quae ab illis tradita et enarrata erant, magnam partem ipsasque legum tabulas usque ad nostram conservavit memoriam. Plurimarum legum agrariarum brevia tantum supersunt et manca testimonia eaque ex dispersis variorum locis scriptorum aegre colligenda. Una est lex agraria, de cujus tabula inscriptionis relicta sunt lacera fragmenta, in museis Neapolitano et Vindobonensi exposita [1]). In his fragmentis autem tametsi deest nomen auctoris legis, neque annus, quo lex lata est, aperte indicatur, tamen viri docti propter argumentum ad Thoriam ea legem pertinuisse ex eaque superesse suspicati sunt. A scriptoribus vero veteribus paucis in locis, bis a Cicerone [2]) et ab

[1]) De varia fortuna fragmentorum locutus est Rudorffius in libro: Das Ackergesetz des Spurius Thorius wieder hergestellt und erläutert von Dr. A. A. F. Rudorff. Berlin, 1839. Ab eodem Rudorffio citantur libri Jac. Mazochii, Sigonii, Ursini, Brissonii, Justi Lipsii, Boissardi, Gruteri, Pighii, Goesii, Chr. Godofr. Hoffmanni, Alex. Symm. Mazochii, Spangenbergii, in quibus fragmenta legis Thoriae jam antea typis expressa sunt. Quae in museo Neapolitano Nr. 448 et 449 exposita sunt fragmenta ipse contuli Neapoli cum Rudorffiano exemplari.

[2]) Cicer. Brutus c. 36: Spurius Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit. De orat. II, 70: Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter exspectationem, cujus innumerabilia sunt exempla, vel Appii majoris illius, qui in senatu, quum ageretur de agris publicis et de lege Thoria et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent, Non est, inquit, Lucilii pecus illud; erratis, (defendere Lucilium videbatur) ego liberum puto esse; qua lubet, pascitur.

Appiano semel et breviter lex Thoria commemoratur, verbis a corruptelae suspicione non vacuis.

Appian. de bell. civil. I. c. 27: καὶ περιῆν ἐς χεῖρον ἔτι τοῖς πένησι · μέχρι Σπούριος Θόριος δημαρχῶν εἰςηγήσατο νόμον: τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι, καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς. ὅπερ ἦν μέν τις τοῖς πένησι παρηγορία, διὰ τὰς διανομάς · ὄφελος δ' οὐδὲν ἐς πολυπληθίαν. Ἅπαξ δὲ τοῖς σοφίσμασι τοῖςδε τοῦ Γραγχείου νόμου παραλυθέντος, (ἀρίστου καὶ ὠφελιμωτάτου, εἰ ἐδύνατο πραχθῆναι, γενομένου ·) καὶ τοὺς φόρους οὐ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος· καὶ ὁ δῆμος ἀθρόως ἁπάντων ἐξεπεπτώκει· ὅθεν ἐσπάνιζον ἔτι μᾶλλον ὁμοῦ πολιτῶν τε καὶ στρατιωτῶν, καὶ γῆς προσόδου καὶ διανομῶν καὶ νόμων, πεντεκαίδεκα μάλιστα ἔτεσιν ἀπὸ τῆς Γράκχου νομοθεσίας, ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ γεγονότες.

In Appiani libris antea legebatur Βόριος; Schweighaeuserus demum una litera mutata mendum correxit et verum tribuni nomen, consentientibus Hotomanno, Pighio, Sigonio, Freinshemio, Ernestio, reposuit [3]). Extrema autem Appiani verba (ὅθεν ἐσπάνιζον ἔτι μᾶλλον etc. etc.) neque ante Schweighaeuserum quisquam Appiani editor et interpres recte percepit atque ipse Schweighaeuserus de iis intelligendis, tanquam corruptissimis, penitus desperavit vacuumque eorum locum in versione latina reliquit. Veruntamen haec verba, quorum ne ulla quidem in libris invenitur scripturae diversitas, neque corrupta sunt, neque eorum sententia obscura et ambigua videtur esse. Itaque ea ante quinquennium, quum Appiani historias, in germanicam linguam conversas, ederem in publicum, non tantum exhibui in textu, germanico expressa sermone, sed in notis etiam, quas illi libro interpretationis causa addidi, sententiam eorum et continentem orationem exposui, cursim tamen et breviter, uti illic facere coactus eram. Jam vero anno nostri saeculi tricesimo nono Rudorffius, professor Berolinensis, diligentem sane illorum legis agrariae fragmentorum prodidit interpretationem, in qua tamen cum omnino de legislatoris consilio totiusque legis fine minus comprobandam sententiam proposuisse, tum id non recte fecisse mihi videtur, quod, restituta pristina illa jamque antiquata scriptura Βόριος pro Θόριος, verba illa de Boria quadam lege intellexit, illa autem, quae paullo inferius sequuntur, (καὶ τοὺς φόρους οὐ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος) ad Thoriam legem retulit. Ceterum Rudorffius extrema illa Appiani verba (ὅθεν ἐσπάνιζον ἔτι μᾶλλον etc. etc.), quae, uti jam supra dixi, plana atque perspicua neque ullo modo corrupta sunt, audaci sane neque apta interpolatione facta, penitus pervertit eorumque sententiam confudit. Post Rudorffium Goettlingius [4]) quoque, praeceptor praecipue dilectus, quem honoris causa, neque unquam nisi summa

---

[3]) Hotomannus in antiq. Rom. lib. I opp. T. III p. 236, Pighii Annal. T. III p. 136, Sigonius de antiquo jure Ital. lib. II c. 2, Freinshem. Supplem. Livii LXI, 37, Ernestii clavis Cicer. s. v. lex Thoria.

[4]) Geschichte der römischen Staatsverfassung von Erbauung der Stadt bis zu C. Caesar's Tod. Von K. W. Goettling. Halle, 1840. S. 447 und 448. Anm. 7.

cum pietate nominare soleo, in libro de reipublicae historia Romanae conscripto haec adtigit Appiani verba eaque diverso a Rudorffiana ratione et novo modo interpretatus est. Sed ut aperte dicam et vere quod de ejus interpretatione sentio, neque recta ea est et tam artificiosa, ut vix intelligi posse videatur. Quae quum ita sint, operae pretium me facturum existimo, si meam de lege Thoria sententiam, omissa quidem propter libelli angustias singulorum capitum interpretatione, breviter exponam et Appiani locum denuo et explicate retractem. Quod tamen non licet facere nisi prius exhibita brevissima rei agrariae adumbratione.

Jam inde a primordiis civitatis hoc fuit Romanae consuetudinis, ut quum aliquod Italiae oppidum vel populum armis sibi subjecissent, parte agri eaque plerumque tertia eum mulctarent [5]). Hic ager, victis domitisque Italiae populis tanquam victoriae praemium ereptus, aut privatus factus est ager Romanus, aut publicus in civitatis dominió Romanae relictus. Privatus ager Romanus, strictis haruspicum et agrimensoriae artis regulis divisus et limitatus, aut colonis [6]) (ager colonicus), aut viritim [7]) civibus assignatus (ager viritanus), aut a quaestoribus venditus est (ager quaestorius) [8]). Privatus ager singulis civibus in dominium et proprietatem traditus et in censum cujusque relatus est, ex eoque domini cum reliquo suo censu tributum pendere coacti sunt [9]). Publicus contra ager Romanus, qui manebat in dominio civitatis, neque limites accepit, neque formas, eoque Romani auf in universum (in commune) [10]) tanquam pascuis utebantur [11]) (ager pascuus), aut a singulis occupari eum permiserunt (ager occupatorius) [12]). Occupati agri appellabantur possessiones [13]), quae nunquam, ne longissima quidem possidendi continuatione, poterant a privatis hominibus usucapi nec in privatos agros commutari, sed proprietas possessionum semper pertinuit ad civitatem [14]), possessoribus usu tantum concesso. Possessiones non referebantur in censum, sed ex iis a possessoribus vectigalis nomine solvebatur decima pars frugum et ex arbustorum proventu

---

5) Livius I, 15, 38, II, 6, 25, 31, 41, VIII, 1, 11, Dionysius Hal. II, 28, 54, IV, 27, V, 49, 60, 62, VI, 34, 43, 44, Zonarae Annal. VII, 5 etc. etc.

6) Jul. Frontin. de agrorum qualitate edit. Goes. p. 38: Ager ergo divisus assignatus, est coloniarum.

7) Livius I, 46, IV, 48, V, 24, 30, XLII, 4, Zonar. Annal. VII, 9, Festus s. v. viritanus ager.

8) Livius II, 17, IV, 48, XXVIII, 46; Cicero de lege agrar. III, 3; Rei agrariae auctores legesque variae cura Wilelmi Goesii. Amstelodami 1674, Siculus Flaccus de condit. agror. p. 2 et 14, Hyginus de limitibus constituendis p. 205, Appian. de bell. civ. I, 7, Plutarch Tib. Gracchus c. 8.

9) Niebuhrs römische Geschichte Bd. II, S. 184, dritte Auflage.

10) Hyginus c. l. p. 192.

11) Livius XXXIX, 29, Plinius H. N. XVIII, 3.

12) Siculus Flaccus de condit. agror. edit. Goesii p. 3, Jul. Frontin. de agror. qualit. p. 38, Aggenus Urbicus p. 45.

13) Niebuhrs römische Geschichte Bd. II p. 161 etc., dritte Auflage. Geschichte des römischen Rechts bis auf Justinian von F. Walter. Bonn, 1840, p. 41.

14) Aggenus Urbicus de controvers. agror. ed. Goes. p. 69: jurisperiti negant illud solum, quod populi Rom. esse coepit, ullo modo usucapi a quoquam mortalium posse.

pars quinta [15]). Praeterea iis quoque, qui greges in pascuis publicis alebant, scriptura indicta est, tam minoris quam majoris pecoris. — Jam vero in dividendis et assignandis agris Romani parci fuerunt, occupandi autem agri publici modus usque ad Licinii Stolonis legem non praescriptus fuit. Quare privatorum agrorum non magna erat copia, publicus autem ager quovis fere anno, quavis Romanorum victoria augebatur et in immensum crescebat. Proprios agros, divisos et assignatos, soli fere habebant plebeji [16]), patriciis jus agri publici possidendi sibi solis arrogantibus [17]). Quod patriciorum privilegium quanquam lege Licinia sublatum esse videtur, tamen etiam postquam plebeji parem paene cum patriciis auctoritatem nacti erant, ita perduravit, ut qui tum patriciorum in locum processissent eumque obtinuissent, locupletes et nobiles stirpes, omnem possiderent agrum publicum, quum pauperibus et inopibus civibus perraro agri dividerentur et assignarentur. Ex his jam apparebit diversa ratio et natura agrorum privatorum et possessionum. Sed sunt etiam alia, quae omittere coactus sum. Id tamen non licet praeterire, possessiones diuturnitate temporis privatorum paene agrorum adeptas esse naturam et securitatem; possessores tergiversatione, mora et praetextus astutia vectigalium solutionem effugisse [18]) et, vicinis pauperum praediis partim pretio coemtis, partim vi occupatis [19]), non jam rura, sed ampla habuisse latifundia [20]). Ad colendos autem agros pascendaque pecora non utebantur inopibus et egenis civibus, sed emtis servitiis, quae militiae causa ab opere non avocarentur. Quo factum est, ut potentiores supra modum ditescerent et agri complerentur servis, inopes contra cives simul gravarentur paupertate, exactionibus crebraque militia. Itaque respublica Romana eo laborabat vitio, quod tota civitas in duas divisa erat partes contrarias, ut opulentiorum paucitas omnibus frueretur publicis commodis victoriarumque fructibus, pauperum vero multitudini omnia reipublicae onera sine ulla laborum compensatione injungerentur. Destituti agris otio corrumpebantur et propter summam penuriam inopiaeque tristitiam matrimonia fugiebant liberorumque alendorum curam [21]).

Hanc optimatium iniquitatem et injuriam, qua plebeji premebantur, jam antiquissimo tempore Servius Tullius [22]) levare et emendare voluerat dividenda et assignanda agri publici parte. Veruntamen neque Servii Tullii consilium et inceptum satis prosperum et

---

15) Appian. de bell. civ. I, 7.
16) Livius IV, 48.
17) Dionysius Hal. IV, 9.
18) Livius IV, 36, 51, 53, X, 23, 47, XXXV, 10, XXXVIII, 35.
19) Appian. de bell. civ. I, 7, Plutarch. Tib. Gracch. 8, Livius XLII, 1, 8, 9, 19.
20) Lucani Pharsal. I, 167, Sallust. de ord. republ. II, 5, Sallust. bell. Jugurth. XLI, Plinius H. N. XVIII, 7: Latifundia perdidere Italiam. Seneca de benef. VIII, 10: Vasta spatia terrarum per vinctos colenda. Dionys. Hal. II, 74.
21) Appianus et Plutarchus c. l.
22) Livius I, 46, 47, Dionys. Hal. IV, 9, 11, Zonar. Annal. VII, 9. Niebuhrs römische Geschichte Bd. I, p. 384, vierte Auflage. Bd. II, p. 184, dritte Auflage.

exoptatum habuit eventum, neque lex agraria, quae auctore Sp. Cassio consule [23]) lata est. Factae quidem sunt interdum agri publici divisiones et assignationes [24]), at quod divisum est et assignatum, nihil fere fuit ad agri publici amplitudinem, qui possessoribus relictus est. Tantum tamen per Sp. Cassium adepti erant plebeji, ut nunc jam haberent legem latam et acceptam [25]), qua ad excusandas postulationes suas uterentur et ad quam possent, injustitiam accusantes patriciorum, merito provocare. Id vero quoties factum est! [26]) Quam saepe lex agraria, elusa semper patriciorum astutia et calliditate, a fortibus tribunis plebis tanquam clipeus contra artes illorum et arrogantiam producta est et efflagitatum, ut tandem aliquando eam exsequerentur. Jam vero saepissime praecisa plebejorum spe et optato, prodiit tandem Licinius Stolo [27]), tribunus plebis, qui

---

23) Livius II, 41.

24) Livius III, 1, Dionys. Hal. IX, 59, Liv. IV, 11, 30, 47, 49, Zonar. Annal. VII, 20, Liv. V, 24, 30, VI, 4, 16, 21.

25) Niebuhrs römische Geschichte Bd. II p. 196, dritte Auflage.

26) Livius II, 42, 43, 44, 48, Dionys. Hal. IX, 1, 18, Livius II, 52, 53, Dionys. Hal. IX, 39, 69, Liv. II, 61, 63, 64, IV, 12, 36, 43, 44, 47, 48, 51, 52, 53, V, 12, VI, 5, 6, 11.

27) Primus Heynius (Heynii Opuscula acad. Vol. IV.) demonstravit, omnes leges agrarias pertinuisse ad agrum publicum, neque ad aequationem quandam bonorum neque ad modum agrorum privatorum definiendum. Post Heynium Niebuhrius summo cum acumine discrimen possessionum et agrorum privatorum omninoque legum agrariarum finem exposuit. Niebuhrium praeter alios secuti sunt Savigny (das Recht des Besitzes. Fünfte Ausg. §. 12 a. p. 175 Not. 1), F. Walterus (Gesch. d. röm. Rechts I Cap. XIII p. 104), Carol. Beierus (ad Cic. de offic. II, 22, p. 152). Contra Niebuhrii sententiam autem disputaverunt C. Huellmannus (röm. Grundverfassung §. 20 p. 270) Chr. L. F. Schultzius (Grundlegung zu einer geschichtl. Staatswissenschaft der Römer §. 62—64) et Ph. Ed. Huschkius (Ueber die Stelle des Varro von den Liciniern, de re rust. I, 2, 9), Licinianum modum quingentorum jugerum et possessiones et agros privatos pariter complexum esse putantes. Discrimini quod Huschkius statuit, legem Liciniam non legem agrariam, sed legem de modo agri fuisse existimans, nimium tribuit, quoniam omnibus legibus agrariis, quibus jam occupati agri publici dividebantur et assignabantur, amplitudinem et modum possessionum minutum esse pro certo habendum est. Eodem igitur jure, quo lex Licinia, licet quoque legem agrariam Semproniam legem de modo agri appellare. Testimonia vero veterum scriptorum, quae ad primum argumentum comprobandum Huschkius attulit p. 5 not. 9, Niebuhrianam potius sententiam, quam ipsius opinionem confirmant. In omnibus enim his locis, quibus Livius agrum solum, non agrum publicum dixit, vel alia verba vel totus contextus satis indicant, de agro publico neque omnino de omni agrorum genere sermonem esse. Neque pluris aestimanda sunt reliqua argumenta Huschkiana. Ab Huschkio in errorem perductus est Rudorffius, qui in c. l. p. 26 et 27 repetiit Huschkianam opinionem, qua Licinius omnino agrorum, sive quis publicos possideret, sive privatos, sive utrosque una haberet, unum modum statuisse putatur; p. 28 autem Rudorffius graviorem etiam commisit errorem, de duplici modo locutus et agrorum privatorum et publicorum. At vero ita saltem amantes libertatis semper fuisse Romanos puto, ut nulla unquam lege dominium et proprietatem, justo quidem titulo et recta ratione comparatam, vinculis quasi et modo ullo coerceri passi sint. Goettlingius in c. l. p. 351 refutavit Huschkii opinionem praeclare demonstrans, Licinianum modum ad agrum publicum solum et possessiones pertinuisse. Nihilominus etiam nunc Puchta (Cursus der Institutionen. Erster Band. Leipzig 1841 p. 203) jam antiquatum illum et confutatum errorem retinuit, pro certo affirmans, Liciniana lege privatos agros quingentorum jugerum modo circumscriptos esse; an publici quoque agri, posse dubitari. Ultimo loco commemorandus est Car. Hoeckius (Röm. Geschichte vom Verfall der Republik bis zur Vollendung der Monarchie unter Constantin. Bd. I, Abth. I. Braunschweig 1841), qui ipse quidem p. 20, Niebuhrii sententiam protulit, sed p. 30 in not. 5 eandem etiam ab Huschkio defensam esse dixit. Multa quidem contra Huschkium ejusque sectatores commoneri possunt, quae omittere coactus sum. Unum illud dixisse satis erit, Licinii Stolonis tempore Romanos non jam habuisse tantam privatorum agrorum copiam, ut modum quingentorum jugerum lege definire necesse fuerit. Qui per venditionem vel assignationem privati redditi erant agri, eos omnes plebeji fere soli habebant, patriciis publicum agrum possidentibus. Vide Liv. IV, 48 et Huschkii ipsius explicationem in c. l. p. 78.

quamvis repugnantibus patriciis legem tulit, ne quis plus quingentis jugeribus agri publici possideret neve pasceret in publicis pascuis plus centum capitibus majoris plusve quingentis minoris pecoris. Decretum praeterea est, ut ad curanda opera rustica quisque agri publici possessor certum numerum liberorum hominum aleret. Quem quisque agrum supra definitum lege modum possidebat, eum vendi lege jussum videtur [28]). Haec lex Stolonis jurejurando sacrata est mulctaque destinata iis, qui contra facturi essent. Oppressa hoc modo contentione de lege agraria, coloniae passim deductae sunt agerque interdum assignatus [29]). Sensim tamen lex agraria in oblivionem ivit et contemni coepta est [30]), ita ut post punicum bellum tertium usu jam prorsus antiquata esset. Tum vero toto terrarum orbe a Romanis superato, Sicilia, Sardinia, Hispania, Africa, Graecia, Asia in provinciarum formam redactis, Romani populi conditio fuit tristissima [31]); Italia per continua bella exhausta viris, tributis attrita, ne habebat quidem, unde malis mederetur. Nam major Italiae pars occupata erat per latifundia divitum, qui fructuosiorem agriculturam cernentes esse per servos, parvo parabiles et a militia vacuos, Italorum ingenuorum ministeriis ne ad factitanda quidem opera rustica utebantur. Inde vacuitas agrorum, colentium paucitas et in colendo ex paupertate socordia; inde conjugia rara et liberorum orbitas, quos alere non possent; inde militum inopia et delectuum difficultas [32]). Malorum autem tantorum emendatio nunc jam erat difficillima. Reduci enim plebs in agros non poterat sine possidentium eversione, qui relictas sibi a majoribus sedes aetate, quasi jure hereditario possidebant easque aedificiis aliisque instruxerant operibus [33]).

Incommodi, quod inde ex hoc rerum statu imminebat civitati, quaerens remedium et misertus inopum civium, Tib. Sempronius Gracchus legem renovavit Liciniam: ne quis plus quingentis agri publici jugeribus possideret. Adjecit tamen veteri legi: licere civibus pro filiis familias possidere modi hujus dimidium [34]). Quidquid autem agri superfuerit, id oportere pauperibus dividi per triumviros, qui in annos singulos mutarentur. Ne vero

[28]) Appian. de bell. civ. I, 8.

[29]) Livius VIII, 11, 16, Vellej. Pat. I, 14, Livius VIII, 21, 22, IX, 26, 28, X, 1, 6: Romae quoque plebem quietam et exoneratam deducta in colonias multitudo praestabat. X, 10, 13, 21. Epitom. XI, XIV, XV, Eutrop. II, 9, Liv. Epit. XVI, XIX, Zonar. Annal. VIII, 7, Liv. Epit. XX, XXVIII, 11, XXXI, 4, 48, XXXII, 1, 7, 29, XXXIII, 24, XXXIV, 45, 53, XXXV, 9, 40, XXXVII, 46, 47, 57, Vellej. Pat. 1, 15, Liv. XXXIX, 44, 55, XL, 29, 34, 43, XLI, 13, XLII, 4, 22, XLIII, 17.

[30]) Livius X, 13, 23, 47, XXIII, 16, XXVII, 6, XXX, 39, XXXI, 50, XXXIII, 25, 42, XXXV, 10.

[31]) Sallust. bell. Jugurth. 31 et 41, Livius XXXIV, 4: diversis duobus vitiis, avaritia et luxuria, civitatem laborare. Liv. XXXIX, 6: Luxuriae peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est.

[32]) Appian. de bell. civ. I, 7—27, Plutarch. in Gracchis.

[33]) Florus III, 15.

[34]) De lege agraria Sempronia vide quae dixi ad Appian. de bell. civ. I, 9 et 11 et Goettlingii l. c. p. 432. Quod Goettlingius, mea improbata sententia, putavit licuisse civibus secundum legem Semproniam pro emancipatis filiis possidere quingentorum jugerum dimidium, id non recte statuisse vir doctus mihi videtur. Emancipati enim filii erant sui juris et ipsi suo nomine totum modum possidere poterant. Alia est Pighii sententia, quem Goettlingius immerito tanquam suae opinionis auctorem citavit. Pighius enim Tom. III p. 5 his verbis recitat legem Semproniam: Ne quis ultra quingenta agri jugera possideret. Filii familias emancipati non ultra dimidium.

amplius opulentiores coemere possent pauperum portiones, Gracchus interdixit lege, ne quis suam agri sortem venderet. Nam hoc vel maxime spectavit, ut inopum civium multitudinem ab otio et pigritia et socordia ad agriculturae industriam avocaret eosque hoc modo ad matrimonia ineunda liberosque alendos redderet propensos. Etenim non tam divitiis hominum, quam frequentiae civium providere voluit [35]). Exortae quidem sunt propter legem Semproniam maximae contentiones; agri publici possessoribus quamvis vehementer repugnantibus, tamen lex perlata est primique triumviri a. d. a. creati Gracchus ipse, Cajus, frater ejus, et socius Appius Claudius. Tib. Gracchus eodem anno, quo lex accepta est, quum continuari sibi vellet tribunatum, interfectus est. Post Gracchi necem, Appio quoque Claudio vita functo, Fulvius Flaccus et Papirius Carbo electi sunt, ut cum minori natu Graccho agris dividendis praeessent. Quae agrorum divisio maximis impedita fuit difficultatibus, jamque duabus partibus inter se adversantibus supervenit alia multitudo ex coloniis, municipiis aliisque sociorum oppidis, quae vel agros publicos possidebat, vel agros divisos et assignatos acceperat [36]). Veteres autem possessores quum agros recenseri tergiversarentur, triumviri a. d. a. edixerunt per praeconem, ut qui vellet, eos denuntiaret in judiciumque vocaret. Ac mox difficiles lites enatae sunt quam plurimae. Quidquid enim conterminorum agrorum aut divenditum fuerat, aut divisum sociis, id totum propter agri publici mensuram, de qua quaestio habebatur, in disceptationem veniebat, quonam pacto esset venditum aut divisum. Et multis jam ad manus non amplius erant emtionum instrumenta, aut documenta sortitionis, et si qua proferebantur, erant et ipsa ambigua. Praeterea dum agri publici ad mensuram revocantur et dividuntur, fit, ut possessorum alii ex fundis vite oleaque consitis aut ex instructis villis transferantur in terram nudam; alii e cultis in incultam aut palustrem coenosamve regionem, idque eo magis, quod initium occupandi agri publici negligentius fuerat factum multique, assumta etiam ea portione, quae praediis eorum erat contermina, faciem publici agri et privati confuderant. Procedens vero aetas multa mutaverat, ut difficile omnino esset divitum injurias, quamvis magnas, certo cognoscere. Itaque hac nova nunc instituta agrorum mensura et divisione cuncta sursum deorsum miscebantur, possessoribus omnibus loco motis et in aliena translatis. Hujusmodi vero molestiis et praeproperis rerum judicatarum executionibus quum Italici quoque socii gravissime premerentur, a P. Cornelio Scipione, rerum suarum ut susciperet patrocinium, petierunt. Scipio ingressus in senatum, legem quidem Gracchi non improbavit palam, ne plebem offenderet, sed, exposita rei difficultate, censebat, judicia a triumviris, qui suspecti essent his, quorum res ageretur, transferenda esse ad alios. Idque, quum aequissimum esset visum, patribus persuasit, qui ad Tuditanum consulem harum litium cognitionem detulerunt. Sed ille, rem adgressus, quum perdifficilem animadverteret, praetextu

[35]) Appian. de bell. civ. I, 9, 10, 11: Γράκχῳ δ᾽ ὁ μὲν νοῦς τοῦ βουλεύματος ἦν οὐκ ἐς εὐπορίαν, ἀλλ᾽ ἐς εὐανδρίαν.
[36]) Appian. de bell. I, 10, 18—21, 35, 36, Cicero de lege agr. I, 1, Somnium Scip. 2, Sallust. bell. Jugurth. 40, 42, 44, 46.

usus belli adversus Illyrios suscipiendi, missum illud judicandi negotium fecit. Simulque triumviri, nemine ab eis jus petente, in otio degebant. Causis vero nondum judicatis, non licuit agros, de quibus litigabatur, dividere. Ita agrorum divisio in longum differebatur, et plebs spem accipiendorum agrorum, qua adhuc fuerat laetata, abjiciebat. Jam erant, qui censerent, sociis cunctis, quippe qui maxime de illa lege quererentur, civitatem dandam esse, ut majori hac gratia devincti de agro contendere desinerent. Sed senatus cum indignatione rejecit id consilium. Quae quum ita essent, decem annis post Tib. Gracchi necem, frater ejus, C. Gracchus, illustri plebis studio tribunatum adeptus, cum alias leges tulit ad senatus potentiam debilitandam et tristissimam pauperum conditionem sublevandam aptissimas, tum suscepit rem agrariam et legem jam paene antiquatam instauravit. Ex paucis et mutilatis veterum scriptorum locis non possumus quidem repetitae a C. Graccho legis agrariae rationem satis accurate cognoscere [37]), id tamen constat nec licet dubitare, quin res agrariorum denuo suscepta sit ab eo, renovata lex agraria Tiberii fratris et continuata mensura agrorum a fratre ejusque collegis triumviratus inchoata. Praeterea Gracchus et ipse et per amicos leges rogavit de coloniis cum intra Italiam, tum etiam extra Italiam deducendis. Quibus rebus quum senatus vehementer succenseret deque minuta sua auctoritate Graccho esset iratus, persuasit Livio Druso, tribuno pl., ut Gracchi legibus intercederet simulque aliis multoque largioribus rogationibus agrariis, ex auctoritate senatus promulgatis, civium animos senatui conciliaret. Hujusmodi vero dolis quum Gracchus favore plebis excidisset omnique eum modo recuperare vellet, incitatus per Fulvium Flaccum, turbulentum civem, temerarias excitavit turbas, in quibus servo jugulum praebere coactus est. Occiso vero Graccho exsultans victoria nobilitas in illius amicos omnesque populares ferro omnique cruciatu saeviit [38]). Quin imo tam immoderate ultionem exegit Opimius consul, ut in urbe, quae adhuc madebat civili sanguine, templum Concordiae tanquam monumentum ultionis a civibus petitae exstrueret. De perficienda autem lege agraria et deducendis coloniis jam non amplius sermo erat, quum populares, patronis privati, contra nobilitatis licentiam ne hiscere quidem auderent. Neque enim nobiles contenti fuerunt tacita victoria, sed aperte jam abrogare Sempronias leges inceperunt, lege non multo post perlata, qua agri portionem, quam quisque acceperat assignatam, vendendi potestas data est [39]). Miseri contra populares, nihil jam conantes, indignabantur suisque rebus defensorem aliquando proditurum esse sperabant. Interea vero, dum hoc fit, inimicos carpebant acerba verborum dicacitate et odium atque indignationem acutis dicteriis expromebant. Itaque non dubitarunt quidam sub ipsius aedis novae titulo versum mordacem nocte scribere: „Vecordiae opus aedem facit Concordiae“ [40]); alii imagines atque simulacra

[37]) Cicero IV or. Catil. 2, Livii Epit. 60, Vellejus Pat. II, 6, Florus III, 15, Plutarch. C. Gracch. 5 et 9, Siculus Flaccus edit. Goes. p. 2.

[38]) Sallust. bell. Jugurth. 42.

[39]) Appian. bell. civ. I, 27.

[40]) Plutarch. C. Gracch. 17: Ἔργον ἀπονοίας ναὸν Ὁμονοίας ποιεῖ.

Gracchorum publice proposuerunt, loca, in quibus illi interfecti erant, consecrarunt et frequentarunt, primitias Gracchis frugum tanquam numinibus offerentes [41]). Tam contraria tamque inimica studia non poterant esse in civitate sine summo reipublicae periculo; non poterat ejusmodi periculum diu imminere reipublicae, quin excitaret aliquem tribunum plebis vel alium magistratum ad pacis componendae conatum. Jam vero legibus agrariis huc usque latis, quibus minutae erant patriciorum et optimatium possessiones, plebeji autem pauperesque cives agros acceperant, quum perspicuum satis sane et apertum esset factum, non posse hoc modo restitui ordinum concordiam: nova nunc ineunda via fuit aliaque lex invenienda, quae omnibus satisfaceret, optimatibus pariter placens atque inopibus civibus et sociis, quae quum possessoribus adimeret agri publici partem, alia tribueret, et detrimentum commodo compensaret. Ejusmodi legem, qua pax et concordia componeretur partesque conciliarentur, Spurium Thorium tulisse arbitror. Neque enim unicam optimatium spectavit utilitatem, quod putavit Rudorffius [42]), neque inopibus civibus aut sociis Italicis lege sua praecipue gratificatus est, sed omnium pariter affectans plausum, labantem jam perpetuis factionum certaminibus rempublicam ad quietum et tranquillum statum revocare voluit. Itaque id praecipuum et gravissimum legis Thoriae caput est, quod confirmavit omnes agros et possessos et assignatos, si modo justo titulo eorum vel possessio vel proprietas defendi poterat.

I. Et primum quidem Thorius revocavit modum agrorum Licinia et Semproniis legibus definitum, ita tamen ut possessiones usque ad hunc modum occupatas in privatos agros commutaret. Quo factum est, ut quod amitterent agri publici possessores de magnitudine possessionum, id reciperent aucto agrorum pretio. Praeterea divisiones agrorum et assignationes a triumviris Gracchanis factas, ne novarum ansam turbarum turbulentis civibus novarumque rerum studiosis praeberent, sua lege confirmavit easque in posterum in discrimen et disceptationem vocari vetuit. Quodque agri publici exceptum cavitumve erat a Gracchis ne divideretur, id Thorius etiam intactum reliquit et excepit [43]).

II. Ut iis quoque consuleretur, qui nullos adhuc agros haberent, Sp. Thorius pauperibus civibus agrum publicum, qui reliquus erat, neque a Graccho, neque hac lege excep-

[41]) Quanto cum studio partes inter se repugnaverint tum temporis Romae apparet ex Memmii oratione a Sallustio, bell. Jugurth. historia tradita, c. 31.

[42]) Vide Rudorffii citat. libr. p. 33 et 39.

[43]) Vide tabulas legis Thoriae lin. 1—10 edit. Rudorff. vel Rudorffii librum cit. p. 143—147: — — agrum, locum sumpsit reliquitve, quod non modus maior siet, quam quantum unum hominem ex lege plebeive sc. sibei sumere — — — quod quoi eique de eo agro, loco ex lege plebeive sc. IIIvir sortito ceivi Romano dedit, adsignavit, quod non in eo agro, loco est, quod vetus — — — plebeivescito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rog. exceptum cavitumve est nei divideretur, quod quoieique de eo agro loco agri locei — — — Ager, locus, aedificium omnis quei supra scriptus est — — — ita utei ceterorum locorum, agrorum, aedificiorum privatorum est, esto; censorque quei quomque erit, facito, utei is ager, locus, aedificium, quei — — — neive quis facito, quo quoius eum agrum, locum, aedificium, possessionem ex lege plebeive scito esse oportet, opportebitve, eum agrum, loc— — — niove sententia deicito, neive ferto, quo quis eorum, quoium eum agrum, locum, aedificium, possessionem ex lege plebeive scito esse oport — —.

tus, ne divideretur, neque a vetere ullo possessore possessus, usque ad XXX jugerum modum sibi sumere concessit eumque etiam agrum reddidit privatum [44]). Praeterea publicorum pascuorum usum usque ad certum quendam pecudum numerum, decem majoris pecoris et quinquaginta minoris, uti videtur, gratis et sine vectigalis solutione patefecit et liberum dedit [45]), ab iis contra, qui majores pascebant greges, scriptura diligenter exacta [46]).

III. Tertiae denique illi agrariorum multitudini, quam, Sempronia lege concitatam, Gracchano tempore Romam confluxisse supra enarravi, quaeque constabat e coloniarum, municipiorum aliorumque oppidorum incolis, e sociis Italicis nominisque Latini, agros suos, de quibus timebant quosque vel divisos et assignatos acceperant, vel emtione sibi comparaverant, tum confirmavit, tum, si quibus eorum secundum foedus agri publici usus concessus erat, idem jus agri publici possidendi atque civibus Romanis tribuit [47]).

IV. Quam plurimis vero et, si fieri posset, omnibus quum Thorius satisfacere vellet, non solum de agris Italicis, verum etiam de provincialibus, de Africanis et Corinthiacis multa constituit. At in his etiam non tam nova proposuit, quam ubique omnibus omnia, quaecunque justo aliquo titulo postulari poterant, confirmavit. Etenim noluit irritare civium animos novis consiliis, sed concordiam pacemque restituere. Ex quo Thorii consilio jam perspicua est facilisque explicatu maxima illa cura et singularis ejus diligentia, qua non solum securitati possessionum et proprietati agrorum prospexit [48]), sed etiam omnia, quae ad judicia agraria pertinebant, ordinavit [49]).

Quae si cuncta reputantur, quis non intelligit, Sp. Thorium omnibus partibus sua lege satisfacere voluisse? nam quae primo loco commemoravi, ea nobilibus et divitibus agri publici possessoribus grata et accepta essent necesse fuit. Secundo vero loco quae dixi,

---

44) Lin. 14: — — in eum agrum agri jugera non amplius XXX possidebit habebitve, is ager privatus esto.

45) Lin. 14, Rudorff. p. 149: Quei in agrum compascuum pequdes maiores non plus X pastei (pascet?) quai — — L pascet quaeque ex eis minus annum gnatae erunt post ea quam — — — dato, neive solvito. lin. 26 Rudorff. c. l. p. 157: numerus pecudum in h. l. scriptus est, liceto, neive quid quoi ob eam rem vectigal neive *scripturam dare debeto*.

46) Lin. 19 et 20, Rudorff. c. l. p. 152 et 153: exve h. l. privatum factum est, pro eo agro, loco, aedificio, proque scriptura pecoris, quod in eo agro pascitur, postquam vectigalia consiterint, quae post h. l. — — — publicano pequnia (pecuniam?) scripturam, vectigalve det, dareve debeat, neive quis — — quove quid ob eam rem populo aut publicano detur exsigaturve, neive quis quid, posteaquam *vectig*alia consistent, quae post h. l. rog. primum constiterint — — —

47) Lin. 21—24 et lin. 26, Rudorff. c. l. p. 153—155, p. 157, et p. 69—71. Ad coloniarum vicorumque incolas ea quoque retulerim verba, quae lin. 12, in Rudorffii libro p. 148, legimus: „Quei ager, locus, aedificium ei, quem in viasieis vicanisve ex S. C. esse oportet oportebitve — — — locus, aedificium privatus siet, quove magis — —“ In qua parte legis restituenda Rudorffius minime laudandus videtur. Nam quid illud est, quod addidit supplementum: „datus, adsignatus relictusve erit, is ager, locus, aedificium privatus nei esto.“ Putatne Rudorffius, totum jus agrarium confusum et summa imis mixta esse a Sp. Thorio, quippequi noluerit, agros datos et adsignatos esse privatos.

48) Ante oculos versabantur, quae de abalienatis et venditis agris lin. 11 et 12, Rudorff. p. 147 et 148, de hereditariis lin. 16, Rudorff. p. 150, de emtis lin. 17. Rudorff. p. 151 dicta sunt; tum quae de iis commemorantur, qui possessione vi ejecti sunt omninoque de injusta possessione, quae fit vi, clam et precario, lin. 18. Rudorff. p. 152.

49) De judiciis agrariis agitur lin. 33 — 43, Rudorff. p. 161 — 166 et p. 75—82.

pauperibus et inopibus civibus, qui nullos adhuc agros haberent paucasque pascerent pecudes, utilia et commoda fuerunt. Tertio denique loco et quarto quae posui, iis Thorius tum sociis Italicis gratificatus est, tum omnino commotum perpetuis certaminibus et incertum rei agrariae statum ad tranquillitatem et securitatem revocare studuit.

Ejusmodi vero cum argumento legis Thoriae optime consentiunt ea, quae ab Appiano et Cicerone de hac lege commemorata sunt. Recte enim dixit Cicero [50]), agrum publicum Thoria lege vectigali levatum esse, quippe qua lege tum maxima agri publici pars in agrum privatum commutata sit, e quo nullum pendebatur vectigal, tum pascua publica usque ad certum pecudum numerum gratuito usui patefacta et concessa. Neque alter Ciceronis locus [51]), quo agris publicis lege Thoria cautum esse dicitur, cum fragmentis allatis non est consentaneus, in quibus cum in omnem pecudem, quae numerum praescriptum excederet, scriptura exacta, tum agrorum publicorum, qui superessent, vectigalia diligenter postulata esse videantur.

Quum vero in Appiani libris antea Βόριος non Θόριος legeretur, quod Schweighaeuserus demum de conjectura dedit, quaeritur, num recte ita factum sit. Appianus quidem utrum Βόριος scripserit an Θόριος, licet dubitare, quum ejus libri manuscripti nondum collati sint accurate et qua oportet diligentia. Itaque si reliqua tuentur scripturam Θόριος, tam levem unius literae ejusque simillimae commutationem non debemus offendere. Nomen autem Borii movet corruptionis suspicionem, quoniam, quod jam a Goettlingio dictum est c. l. p. 446, ejus nominis nusquam facta est mentio. Tum vero in tabulis citatis leges Semproniae tanquam legi Thoriae proxime praecedentes commemorantur, lex agraria Tib. Gracchi nominibus P. Mucii et L. Calpurnii, qui consules fuerunt, quum Tib. Gracchus tribunatu fungeretur, lin. 1, 4, 13, 15, 27, 28, 33, C. Gracchus lin. 6, 22, 82, lex Rubria, quae fuit auctoritate C. Gracchi ab amico ejus Rubrio lata, lin. 59. Itaque non potest, quod putat Rudorffius, lex Boria quaedam inter leges Sempronias et eam legem agrariam, cujus fragmenta tabulis illis continentur, locum habuisse, praesertim quum ea, quae de lege Boria ab Appiano referantur, tam ampla sint tamque gravia, ut totum rei agrariae statum commutaverint [52]). Quod vero meam sententiam, legem Boriam, quam dixerit Appianus, istasque tabulas eandem esse legem eamque Thoriam, quam maxime tuetur, illud est, quod Appianus in brevissima hujus legis notatione id tanquam summum et praecipuum eius argumentum extulit, quod primum legis Thoriae caput fuisse supra demonstravi, scilicet ut agri publici possessoribus relinquerentur (εἶναι τῶν ἐχόντων). Tum vero quod Appianus vetitum esse hac lege dixit, ne ager publicus amplius divideretur (τὴν μὲν

[50]) Brutus c. 36.

[51]) De oratore II, 70.

[52]) Lex illa alia, quam ante legem Boriam latam esse Appianus enarrat (de bell. civ. I, 27: νόμος τε οὐ πολὺ ὕστερον ἐκυρώθη, τὴν γῆν, ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν·) unum tantum legis Semproniae caput abrogavit, data agrorum vendendorum potestate.

γῆν μηκέτι διανέμειν), id quoque cum lege Thoria consentaneum est, in qua de Italico quidem agro publico dividendo et assignando nusquam sermo est. Deinde quod supra secundum legis Thoriae fragmenta dixi, vectigalia agri publici, qui relinqueretur, constituta esse, idem etiam Appianus lege Boria factum esse commemorat (καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι). Quod vectigalium autem proventum civibus divisum esse Appianus enarrat (καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομά.), ejus quidem rei testimonium in fragmentis non invenitur. Sed quis inde facile concludet, in deperditis capitibus tale quid non esse statutum, quum multo minima pars legis nobis supersit? Quare nihil est ab Appiano dictum, quod nostrae opinioni adversetur neque dubium mihi videtur, quin ille iis verbis, quae Rudorffius de Boria quadam lege intellexit, de eadem lege locutus sit, cujus tabula etiam nunc conservata est. Ponamus igitur Borii nomen corrigendum esse eaque verba de lege Thoria intelligenda. Quid postea factum est? — Thorius omnibus voluit placere; sed quod evenire solet in ejusmodi consiliis, ut qui omnibus velit satisfácere, nemini satisfaciat, id accidit etiam Thorio, ejusque lex paulo post ab alio tribuno plebis abrogata est. Antiquata autem lege Thoria inopes cives spe in legibus agrariis posita frustrati sunt et ad pristinam illam et tristissimam conditionem rejecti. Testis est hujus rei Appianus iis verbis, quae supra ab initio proposui et ad quorum nunc aggrediamur explicationem.

Quae a primordio civitatis continuo excitata fuerant certamina agraria, ea Sp. Cassius, Licinius Stolo, Gracchi dividendis et assignandis agris publicis componere se posse censuerant. Ex agris autem publicis prius pelli oportuit veteres possessores, qui eos occupaverant. Hinc ortae sunt rixae illae et dissidia civium, quae Romae nunquam cessabant. Et quamquam in his contentionibus civilibus plebeji non ita fuerant superiores, ut ad voluntatem suam satis magnam agri publici copiam patriciis extorquerent, id tamen nacti erant, ut inde a Sp. Cassio haberent legem agrariam, ad quam tanquam vetus suum et antiquum jus provocarent. Hanc rerum conditionem mutavit Thorius novo genere legis agrariae proferendo, qua omnibus se satis dare concordiamque in civitatem reducere posse putavit. At contrarium evenit. Nobilitas enim, quae agros publicos propter diuturnam possessionem jam habebat tamquam privatos, non tanti aestimavit factam illam per Thoriam legem juris agrarii commutationem, ut de agris supra modum possessis decederet. Veteribus autem possessoribus agros non relinquentibus, quomodo pauperes eos poterant occupare? Itaque lex Thoria non habuit exoptatum illum eventum, ut inopum civium multitudo agros acciperet, sed inane videbatur esse artificium (σόφισμα), quo illi placarentur. Solatio [53]) quidem fuerunt vectigalia ex agro publico pendenda et inter illos dividenda, id tamen, quod Gracchus sua sibi lege proposuerat, non potuit his partitionibus impetrari, ut, otiosa turba a socordi inertique vita ad agriculturae industriam adducta et ad matri-

[53]) Ὅπερ ἦν μέν τις τοῖς πένησι παρηγορία, διὰ τὰς διανομάς· ὄφελος δ᾽ οὐδὲν ἐς πολυπληθίαν.

monia ineunda alendosque liberos reddita propensiori, Italorum et inopia et paucitas minuerentur [54]). Sed et ipsa vectigalia quum paulo post ab alio tribuno plebis abrogata essent, jam omnia et legum Semproniarum et Thoriae commoda perierunt [55]). Quo factum est, ut gravius etiam Romani laborarent civium paucitate et militum, cui Gracchus mederi voluerat, neque pauperes acciperent vectigalium proventum, qui secundum legem Thoriam inter eos dividendus fuerat [56]). Quin etiam ne habuerunt quidem amplius legem agrariam, ad quam possent agros postulantes provocare, lege Sempronia per Thoriam, Thoria autem per illam legem antiquata, qua vectigalium solutio suspensa est. Haec vero in pejorem partem facta rei agrariae commutatio quindecim fere annis incidit post legem datam Semproniam, a quo tempore inopes cives inter lites, lege Sempronia excitatas, otiosi fuerant [57]).

Hanc puto his Appiani verbis expressam esse sententiam, nec quidquam in iis invenio, quod sit mendosum aut obscurum. Aliter autem judicat Rudorffius, cum in singulis interpretandis a mea diversus ratione, tum totum locum interpolatione facta in duas dividens partes. Quo pacto autem, quod ille existimat, verbis: *καὶ τοὺς φόρους οὐ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος·* lex Thoria possit esse significata, ego non intelligo. Neque enim ipse Rudorffius in hac re exponenda unum et idem sensit neque satis providus fuit, tum p. 47—49 e verbis Ciceronis [58]) et legis Thoriae fragmentis recte demonstrans, lege Thoria cautum esse agro publico neque ejus usum sine discrimine et gratis concessum, tum p. 50 et 36 decumas et vectigalia omnino sublata esse affirmans. Tum vero quid illud est, quod ad posteriorem hanc confirmandam opinionem (decumas scilicet omnino sublatas esse) citavit fragmentorum legalium verba: „*Qui ager locus quodve aedificium ex lege plebeive scito* exve h. l. privatum factum est, pro eo agro loco aedificio proque scriptura pecoris, quod in eo agro pascitur, postquam vectigalia constiterint, quae post h. l. *rogatam primum constiterint*, *nei quis — facito*, *quo quis populo Romano aut* publicano pequniam scripturam vectigalve det dareve debeat.“ Putatne Rudorffius ante legem Thoriam ex agris privatis etiam vectigalia et decumas pensitatas esse? Equidem

---

[54]) Appian. de bell. civ. I, 7: *Τοὺς δ' Ἰταλιώτας ὀλιγότης καὶ δυσανδρία κατελάμβανε, τρυχομένους πενίᾳ τε καὶ ἐσφοραῖς καὶ στρατείαις.* c. 9: — *Γράκχος — ἐσεμνολόγησε περὶ τοῦ Ἰταλικοῦ γένους, ὡς εὐπολεμωτάτου τε καὶ συγγενοῦς, φθειρομένου δὲ κατ' ὀλίγον ἐς ἀπορίαν καὶ ὀλιγανδρίαν.* c. 11: *Γράκχῳ δ' ὁ μὲν νοῦς τοῦ βουλεύματος ἦν οὐκ ἐς εὐπορίαν, ἀλλ' ἐς εὐανδρίαν.*

[55]) *καὶ τοὺς φόρους οὐ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος· καὶ ὁ δῆμος ἀθρόως ἁπάντων ἐξεπεπτώκει.*

[56]) *ὅθεν ἐσπάνιζον ἔτι μᾶλλον ὁμοῦ πολιτῶν τε καὶ στρατιωτῶν, καὶ γῆς προσόδου καὶ διανομῶν καὶ νόμων.* *Γῆς πρόσοδος* dicuntur hoc loco vectigalia agri publici, quae supra *φόροι* ab Appiano appellata sunt. *Νόμων* autem nomine non omnino leges, sed agrarias tantum h. l. significari perspicuum est.

[57]) *πεντεκαίδεκα μάλιστα ἔτεσιν ἀπὸ τῆς Γράκχου νομοθεσίας, ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ γεγονότες.* Lites intellexit Appianus, quas per triumvirorum agrariorum judicia commotas esse supra vidimus. *Ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ γεγονότες* non est: lites suspensae fuerunt, sed: Romani, dum litibus erant occupati, otiosi fuerant.

[58]) De oratore II, 70.

id non existimaverim. Praeterea ipsa etiam verba a Rudorffio allata: „postquam vectigalia constiterint, quae post h. l. rogatam primum constiterint“ testantur, vectigalia lege Thoria non sublata esse, sed constituta et confirmata. In extremis vero verbis vocem νόμων arbitratus est expungendam esse ejusque loco e conjectura apposuit: ἦσαν δὲ οἱ τὴν. γῆν διανέμοντες. Sed quae citavit argumenti gratia Appiani verba de bell. civ. I, 19 nihil habent cum nostro loco similitudinis nisi quod illic ἐς δίκην, ἐπὶ ἀργίας, hic vero ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ scriptum est. Ceterum Goettlingius jam ostendit, non dici graece ἦσαν γεγονότες. Itaque reliqua omittamus quae in Rudorffiana conjectura displiceant.

Post Rudorffium Goettlingius c. l. p. 447 et 448 not. 7 deleto νόμων et commate post στρατιωτῶν posito nostrum locum his verbis interpretatus est: „Woher denn die Römer noch mehr an Bürgern und Soldaten einbüssten, nachdem überdiess fast funfzehn Jahre, seitdem die durch Gracchus angeregte agrarische Gesetzgebung Bestand hatte (d. h. seitdem überhaupt agrarische Motionen nach Gracchus Vorgang gemacht worden waren) die Gerichte wegen Untersuchung über Erbpacht und Assignationen geruht hatten, verflossen waren.“ Damit deutet Appian auf die funfzehn Jahre, welche seit der letzten, nach Gracchus Vorgang, durch L. Marcius Philippus gemachten Motion (649) bis auf das Tribunat des Livius (664) vorübergegangen waren. Ut omittam alia, ἀπὸ τῆς Γράκχου νομοθεσίας non potest significare „inde a L. Marcio Philippo,“ neque ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ γεγονότες cum genitivis illis conjungi istoque modo explicari possunt.

Venio nunc ad eam partem officii mei, quae hanc scribendi opportunitatem mihi dedit. Indicenda enim sunt pietatis sensu Venerandi Protosynedrii ecclesiastici solemnia illa anniversaria, quae hoc anno die XXXI m. Octobris in *Guilielmi Ernesti*, *Principis Immortalis*, honorem rite celebrabuntur. Cujus diei memoria ut more majorum pie instauretur, primum conveniemus in templo aulico et deum hymnis et sacro sermone et precibus colemus, deinde his peractis in acroaterio gymnasii magno circiter horam II postmeridianam juvenis morum probitate et studiorum alacritate conspicuus, alumnorum primus, *Guilielmus Hermannus Krause*, Thalbuergelianus, orator prodibit et communis nostrae pietatis interpres explicabit dictum illud Horatianum: *Non omnis moriar.*

Quem solemnem actum ut **Vos, in Quorum Cura, Doctrina et Favore Schola Nostra acquiescit,** praesentia Vestra ornare ampliorenque reddere velitis, summa, qua par est, observantia etiam atque etiam rogamus.









